4.

ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!
EROTEMATUM MEDICORUM
DE
P E S T E,
DECADES QUATUOR

AUTORITATE ET CONSENSU GRATIOSISSIMI MEDICORUM IN ALMA SALANA ORDINIS,

PATROCINANTE

VIRO NOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DN. GOTHOFREDO BEIERO,

Jenenſi, Medicinæ Doctore,

Domino Fautore ac Præceptore ſuo honorando, colendo.

publicæ Iatrogoniſtarum cenſuræ ſiſtit

DAVID VALDER, CIZ-MISNICUS,

AUTOR - RESPONDENS.

In Acroaſi Medicorum,

horis ſolitis

Ad diem Maji. A.C. M.DC.LXXIV.

J E N Æ,

EX MOLYBDOGRAPHIA WERTHERI, TYP. DUCAL.

Zephyrus Spiritus S. adſpiret noſtris ex animi ſententia cœptis; Cœlum propitium benedictione ſuâ ſecundet!

Neminem L. B. puto Poeſeos tàm rudem eſſe, quin noverit, quod de Hylade, famulo Herculis, omnes ferè Poetæ ſcripſerint. Hinc & Poetarum Princeps:

Cui non dictus Hylas!

i. e. à quo Poeta non ſcriptum fuit de Hylade. Idem aſſerere de PESTE non dubito. Nam ſexcenti reperiuntur, qui integros de PESTE conſcripsêre tractatus. Nec minor numerus extat, qui remedia tantùm peſtis *προφυλακτικὰ* & *θεραπευτικὰ* evulgarunt. Quicunque ergò illis aliquid addere laboraret, ſcriberet Iliada poſt Homerum, quin faculam accenſam juxta Solis menſam poneret. Sed Æneas in ſupra laudato Poeta *lib. 10. Æneid. v. 600.* Lucagi fratrem ſic inclamat:

— — *fratrem ne deſere frater!*

Eandem vocem & ego hactenus audivi ex Fratre meo dilecto Abrahamo Valdero, dum Diſputationem Juridicam de PESTE elaboraverit, optans, ut eandem materiem Diſputationis loco mihi enucleandam ſumerem. Tantum igitur abſit, ut ſurdo canatur Philomela, quin potiùs *φιλοστοργία* petito fratris ſubſcribere ſuadeat. Quâ de re certa me alit ſpes, quod nemo, infrunitus niſi & motæ mentis, id mihi vitio verterit. Intereà *ἀνευπαθῶν* Diſſertatiunculam de Peſte, quam præfatus Frater *Juridicè* discuſſit, Tibi L. B. exhibeo eâdem methodo, *Medicè* tamen explanatam, quam ut boni conſulas, peto, obſecro.

Ne autem illotis (quod ajunt) manibus rem ipſam aggrediamur, accuratioris intellectus ergò *voculam* PESTIS in limine ſtatim explicandam duximus; Eſt autem *Peſtis* NOMEN valdè *πολύσημον*, cum multas habeat ſignificationes, quas omnes, bre-

vitati ancillantes, recenſere ſuperſedemus, præcipuas tamen attingamus. Significat autem (1) *hominem perditum ſeu ſceleratum*, ut Actor. 24. v. 5. Εὑρόντες τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν, h. e. Nacti ſumus virum peſtiferum. Hoſ. 7. v. 5. Prov. 9. v. 12. & Pſal. 1. v. 1. ubi καθέδρα λοιμῶν, ſedes peſtilentium i. e. ſceleratorum & empæctarum. *Terent. Adelph. Act. 2. ſc. 1. Cic. in Or. pro Catil.* & alibi. (2) ſignificat: *Omne malum & exitium. Lucret. libr. 3.*

Diſcidium ut nequeat fieri ſine peſte maloquè.

Liv. 52. Juſtin. lib. 18. c. 6. Ammian. lib. 19. hinc viri officiô publicô ſibi concreditô malè fungentes audiunt peſtes reipubl. (3) & in noſtro ſignificatu, eſt Morbus *cum malignitate, contagio & familiaritate conjunctus*, ſive fiat ex cauſis tàm internis quàm externis, hisque tàm naturalibus, nonnaturalibus, præternaturalibus, quàm ſupernaturalibus.

Etymologiam quod concernit, peſtis fit per Syncopen ex compoſ. pereſtis & mutato r. in s. eſt peſeſtis vel peſeſtas, à verbo peredo, es, et; Quo ſignif. quicquid peredit & planè conſumit, perditque materiam quamque. *Fr. Jun. parall. 43. ſupra Hoſ. c. 13. v. 14.* Item, peſtis quaſi beſtis à beſtia; ſiquidem inter omnes morbos, qui inſidias generi humano ſtruunt, nullus vehementior, formidoloſior & crudelior peſte. Alii putant, inter quos eſt *Muretus*, peſtem dici quaſi paſtum, quia veluti incendium homines depaſcit, dum deſcendit violenter & ſubitò per totum corpus; Græca derivatio utpote verior nobis cum *Taubmanno in Plaut. de Capt. Act. 4. ſc. 3.* arridet. Is enim peſtem παρὰ τὸ πεσεῖν, cadere, corruere deducit, ut peſtis ſit, quod tam brutorum, quàm hominum corpora peſſundat atquè proſternit, ſed de *horum*, non verò *illorum* peſte nobis erit ſermo.

Synonymiam quod attinet: Hebræis audit peſtis דֶּבֶר deber Exod. 9. 3. & 15. 2. Samuel. cap. 24. v. 13. à Rad. דָּבַר dabar. Arabibus دبر dábira vel dábera, ulceratus fuit, tanquam τῷ דָּבַר maximè accommodato, unde eſt أدبر ádbaro,

ro ulceratus, huic affine eſt ذفر dafira vel daphera malè oluit, fœtuit, vid. *Lex. hodoget. or. harm. Dn. M. Nicolai*, *p. 185*. Græcis λιμὸς ad differentiam λοιμὸς, quod ſignificat famem, affines tamen ſunt λιμὸς καὶ λοιμὸς, ſiquidem λιμὸς μετὰ λοιμὸν, poſt famem peſtis. Φθορὰ ὄλεθρος; ἐπιδημία ὀλέθριος, νόσος θεοῦ, quod divinitùs immittatur; vel quod τῷ θέῳ terribilis ſit; Latinis lues à labe vel luctu vel *Iſidor.* luendo, contagium, à contingendo, peſtilentia, peſtilitas & peſtis. Germanis Peſt/ Peſtilentz/ Sterben/ Plage/ Saxones alicubi vocant De Dinger. *q. d. res.* vide plura in Diſſertatione philolog. Clar. DN. M. Büttneri de *Peſte*.

DECAS PRIMA.

QV. I. Quodnam peſtis propius genus?

℞. Quod propinquius genus peſtis ſit *morbus*, ſiquidem illi competit ipſius morbi genus, quod eſt impotentia actiones naturales exercendi, profecta à mala partium ſimilarium conſtitutione. Sunt tamen nonnulli, qui *febrem* pro proximiori genere peſtis agnoſcere volunt, ſequenti moti ratione, calvâ tamen, quia omni morbo acuto ſit conjuncta febris continua quædam, cùm itaquè peſtis ſit morbus acutus, E. & illa habebit febrim conjunctam. Sed (1) Neg. major: multi enim dantur morbi acuti, e.g. *ſyncope, tetanus* &c. & tamen nulla iis eſt conjuncta febris, (2) diſt. inter τὸ eſſe accidentale, & τὸ eſſentiale; febris non eſt de eſſentia peſtis, aliàs omnis peſtis debet ſuam originem trahere à febre, quod cum *Alex. Maſſar. lib. 2. de peſte. Mercat. lib. . de febr. Mercurial. de peſte cap. 18. Foreſt. lib. 6. obſ. 10. Capivac. lib. 6. prax. cap. 36. Paræo de peſte cap. 10. Petro Salio diverſo de febr. peſtil. cap. 45. Gerhard. Columba de febr. peſtil. libr. 1. cap. 27.* & aliis negamus. (3) inter τὸ eſſe conjunctum cum aliquo, & τὸ eſſe ortum ab aliquo; omnis peſtis quod conjunctam habeat febrem, non negamus, ſed quod à febre oriatur, nolumus; Siquidem febris pluſculum temporis expoſcit, & non citò ſuum exerit virus, ſed ſenſim & paulatim partibus inſidiatur, peſtis verò celerrimè & citiſſimè, unô quaſi momentô & ictu oculi, ſolâ malignitate, nullâ ſuperveniente febre homines occupat & eripit: nulla etiam

febris tantis & tàm velocibus ſtragibus agros & urbes coaçerva-
re valet, quàm peſtis; hæc ceu fera & beſtia quædam depaſcit
& depopulatur, ſine ullo reſpectu ætatis, ſexus, anni temporis; &
inter omnes morbos, qui generi humano inſidias ſtruunt, nullus
vehementior, formidulofior & crudelior peſte, *Gal. libr. de The-
riac. ad Piſon. cap. 16.*

II. Ad quam claſſem rerum præternatura-lium peſtis ſit referenda?

℞. Rerum prætér naturam tria genera univerſa eſſe, uni-
cuiquè *ex Gal. libr. de conſtitut. art. Med. in Iſag. cap. 15. p. m. 40*
erit notum; primum affectiones, quæ actionibus officiunt
alterum cauſæ harum; tertium ſymtomata. Peſtis neque in
cauſarum, quæ morbos gignunt & fovent, neque in ſymtoma-
tum, quæ nec ullam primò actionem lædunt, ordinem eſt recipi-
enda, ſed in *morbos* & quidem *occultarum qualitatum*, ſeu uti *Ga*
aliquo in loco vocat, ſecundum totam ſubſtantiam, deſcribend
venit. Licet nonnulli audeant peſtem referre ad *morbos magn-
tudinis & ſolutæ unitatis* (qui morbi inter ſe differunt ut majus
minus) ob ſequentem rationem, quia in peſte adſunt bubones
carbunculi, qui dein non ſolùm in puſtulam effervefcunt, ſed e
iam in ulcus quoddam quaſi uſtum cruſtantur, & ita tumorem
reddunt, & faciunt ſolutionem continui. ℞. Bubones & carbu
culi, ut morbi ſecundarii, non ſunt confundendi cum prior
ſtat itaquè hic ferociſſimus affectus ſub infauſtis morborum ſ
cundum totam ſubſtantiam ſignis.

III. An rectè ab Helmontio ventriculus pr ſubjecto primario peſtis habeatur?

℞. *Neg. Helmontius tit. de ſede animæ* quidem vult, vent
culum eſſe ſedem animæ, & per conſequens ſubjectum prima
um cujuscunque morbi, ſed negatô antecedente, negatur & co
ſequens; pro ſubjecto tamen *ſecundario ventriculum* agnoſce
poſſumus, quatenus (1) venenum à corde accipit & (2) quater
in eo cibus malè coquitur, tunc poteſt eſſe ſubjectum cauſæ, n
verò ipſius morbi. Primarium itaquè ſubjectum peſtis eſt C

V

vitæ & caloris nativi fons uberrimus, circa quod peſtis primariò verſatur. Quod Cor *primariò* afficiatur, exin probare poſſumus, quia in peſte maximè & primariò affligitur vitalis facultas à veneno; æger enim ſtatim corripitur ſyncope, lypothymiâ, &c. adeſt etiam pulſus debilis, obſcurus, &c. In peſte etiam ſæpè affligitur cerebrum, hinc delirium, ſæpè quoquè ventriculus, hinc vomitus, ſæpè etiam irritantur inteſtina, hinc diarrhœa, ſæpè etiam præter cor & has recenſitas partes, aliæ corporis partes, ſed *omnes ſecundariò*, quatenus (1) cor primò plagam à qualitatibus veneni occultis acceperit. (2) quatenus cor nullos puriores ſpiritus poteſt conficere, & cum nulli conficiuntur, qui tamen deſiderantur, omnis pars pro ſua functione & coctione vitiosè agit. (3) quatenus afflictâ & debilitatâ cordis conſtitutione tota & corporis œconomia affligitur & debilitatur, hinc totum corpus poteſt dici peſtis ſubjectum inadæquatum.

V. An omnes febres peſtiferæ originem ducant à putredine?

℞. Negamus de illis, quos peſtis ſubitò invadit, & ab illa intra 10. vel 12. horarum ſpatium ſuas inter actiones ex inſperato rapiuntur. Omnem febrem peſtilentem excitari à putredine, poſt *Galen. libr. 1. de differ. febr. cap. 5. volunt Evang. Quattram. de præſerv. & curat. peſt. cap. 2. p. 13. Nicol. Ellaim. de peſte p. 470. Fernel. libr. 4. de febr. cap. 18. Thom. Jordan. tract. de peſte, Phœn. cap.* ... *p. 72.* frequenter tamen, ſed non ſemper à putredine oritur peſtis: Ita etiam Excellentiſſimi Facultatis Medicæ in noſtro Vireto Doctores, *νῦν ἐν ἁγίοις*, in kurtzen und nothdürfftigen Unterricht/ wie man ſich bey vorſtehender Peſtilentz-Zeit verhalten möge etc. de Anno 1607. tradiderunt. Cujus verba, cum in omnium manibus non verſetur, hic adponere lubuit. Ob nun wohl die grauſame Seuche der Peſtilentz gemeiniglich aus einer Faulniß/ welche zu eines Gifftes Art erhaben worden/ herrühret. So geſchicht doch dieſes nicht allwege/ und jedes mahl. Weil der Peſtilentz Eigenſchafft und beſondere Natur nicht ſtehet in eſſentia putredinis, ſondern in Art eines Giffts/ *cujus ratio conſiſtit non in qualitatis unius aut binarum primarum: Sed in certo definita*

tem-

temperamenti cum materia proprietatis exceſſu, verùm nobis occulto. Hæc Facultas Medica.

V. An ab occulta & venenata quâdam qualitate peſtis oriatur?

℞. Aff. Cauſa quippe immediata eſt materia aliqua venenata & occulta, cordique tota ſubſtantia adverſa. Hinc ejus tanta reperitur vis, ut intra 24 horarum ſpatium hominem alioqui ſatis ſanum occidere poſſit. Unde venenorum naturam & vires magis mirari, quàm intelligere poſſumus, rectè τὸ θεῖον & quod elementorum naturam longè ſuperat, peſti ineſſe putavit Hippocrates. Profluit ergò non à cauſa manifeſta, ſed occulta, unde meritò inter morbos totius ſubſtantiæ ſeu occultarum qualitatum refertur à *Sennerto in Inſtit. Med. lib. 2. cap. 4.*

VI. Quænam ſit ſpecifica materiæ peſtilentis natura?

Alii volunt, quod ſit *arſenicalis*, *alii* quod *ſulphuralis*, *alii* quod *mercurialis*, ſed ℞. *cum Scaligero ex 344 ſ. 8. p. 1080. Non tibi nunc diſſolvam debitum: ſed bonâ fide intereà pignori tibi relinquam ingenui candidiq; animi verbum hoc:* Nescio. Siquidem illius natura nondum ſatis eſt perſpecta atquè explorata, nequè ab ullo Medicorum, quod ſciam, explicata, tutiùs hæc in ſuſpenſo relinquo & cum ipſo Scaligero manum de tabula abſtraho. Nam qui omnium rationem inquirunt, hôc ipsô rationem ipſam tollunt, atquè unà ſcientiam abolent ac ſubvertunt, *Teſte Theophraſto.*

VII. An & humores poſſint corrumpi, ut maligni & venenati reddantur?

Non pauci, neſcio quâ ratione ducti, præcisè negant, humores in corpore noſtro ita corrumpi poſſe, ut veneni naturam induant, ſed tamen *Galen.* ſententia magis verior videtur quam & nos amplectimur, quæ extat *libr. 6. de loc. aff. cap. 5. p. m 775. porrò iidem affectus oriri poſſunt & ab humoribus in corpore putreſcentibus & ab epoto veneno.* Nam experienti comprobatur, ſæpiſſimè homines incidere in morbos maligno

& ve

& venenatos, quos nihil aliud cauſari poteſt, quàm internorum humorum corruptio. Quin imò *Petrus Salius de part. aff. Martell. Donatus libr. 6. Hiſt. Med. mirab. cap. 1.* tradunt, quoſdam rabie canum inſtar correptos fuiſſe, cùm tamen iſti à nullo cane rabido læſi, nec ab alio per contagium infecti fuerint. Sed in cauſa fuêre humores corrupti.

VIII. An aër ſit cauſa immediata peſtis?

℞. *Neg.* Aer enim refertur ad cauſas non naturales, hæ non ad immediatas, ſed ad mediatas & quidem remotiores, E. non poteſt dici aër cauſa immediata, ſed mediata; eatenus tamen, quatenus *venenum* accipit, & ita *ratione veneni eſt cauſa immediata.* Non tamen ſemper aër valet producere peſtem; multi enim ex auditu & relatione ſaltim peſte corripiuntur & enecantur, nullô concurrente aëre.

IX. An aëris ſubſtantia poſſit putreſcere & corrumpi?

℞. *Aff.* Aër quidem, quâ talis, ſeu ut pro elemento habetur, & regionem totam aëream complet, omnis commiſtionis expers, & nunquam putreſcit; quatenus tamen aër eſt elementatus, hoc eſt, inæqualis & impurus, nullus de illius putrefactione dubitare poteſt. Nam contingere poteſt, ut aëre per totam urbem incolumi, unius domunculæ aër corruptus ſit. *Samcenus* diſtinctionem aliquam inſtituere videtur inter aëris putrefactionem ſeu corruptionem, & infectionem ſeu inquinationem, dum *cap. 4. p. 65.* ſcribit: inquinatur, inficitur & deformatur duntaxat in peſte aër ab effluviis & exhalationibus malignis; & hinc nullam aëris putrefactionem aſſerit, ſed ſaltim infectionem.

X. Quomodo aër infectus poſſit producere peſtem?

Cor continuè indiget eventatione, ideò attrahit aërem infectum, vel in ſua ſubſtantia corruptum, per pulmonem tanquam per inſtrumentum. Iſte ergò aër ſic attractus vel inſpiratus ingreditur per cannam pulmonis, & retinetur infra pulmonem ad tempus, ut de eo recipiat cor ad generationem ſpirituum vitali-

um & pro ſui refrigeratione. Sed cor de illo aëre generare ſpiritus vitales & bonos non poteſt, ſed generat ſpiritus corruptos: & ſimiliter ſanguis arterialis efficitur corruptus & impurus. Illi autem ſpiritus corrupti unà cum ſanguine arteriali per ſiniſtram cordis auriculam, & per quasdam arterias ſubtiles ad omnia membra corporis devolvuntur, quæ membra ab ipſis non vivificantur, ſed potiùs inficiuntur & corrumpuntur; & ſic generantur infirmitates peſtilentiales.

DECAS SECUNDA.

Qu. I. An aſtra valeant generare peſtem?

Dicit *Albertus lib. 2. de propriet. element. tr. 2. cap. 1.* Quod ☌. ♃. & ♂. in ♊. cum aliis adjuvantibus eos faciunt ventos peſtilentes & aëres corruptos, qui ſubitò necant multos homines. ♃ enim, cùm humidus & calidus, in natura habet elevare ventos & vapores, & præcipuè in ſigno ♊, quod ſignum humidum & calidum in ultima parte veris. ♂ autem cùm intemperatè calidus ſit & ſiccus, gignit vapores elevatos, & ideò incipiunt per aërem multiplicari fulgura & ſcintillationes & peruſtiferos vapores & ignes, qui pactô venenô inficiunt aërem, & ideò inducunt frequenter peſtilentias. Item ſecundum intentionem *Hippocratis in libr. de aëre & aqua* ex ortu & occaſu ſtellarum inopportuno peſtilentiæ & morbi contingunt frequentes. *Aſtrologi* autem docent ♄ effectricem & ſignificatricem cauſam eſſe peſtilentium morborum, cum, quod inſignes ac graves mutationes ac corruptiones ſuâ malignâ qualitate aëri inducat, tum, quod motu ſuô periodicô morborum peſtilentium periodos deſignat, quando enim ♄ in ſignis igneis ♈. ♌. & ♐. exiſtit, tum, quia naturam quandam ☉arem & ♂alem hæc ſigna habent, aërem ſuâ præſentiâ corrumpit & peſtis ſemina ſpargit, docente *Cardano 5. aph. 142.* plura videantur apud *Origan. p. 3. c. 8.* & alibi. *Hoc autem eſt notandum:* peſtes graſſatas eſſe, cùm tales congreſſus non fuerint, & non graſſatas, etiam cùm fuerint.

II. An

II. An & mala victus ratio concurrat ad inducendam peſtem?

Avenzoar inter alias cauſas peſtis refert *& malam victus rationem*, dum in *Theiz. libr. & tract. 3. cap. 1.* dicit, peſtes evenire (1) ex corruptione aëris, (2) ex malitia & putrefactione aquæ & (3) ex ciborum corruptione; dum cibus enim peccat quoad quantitatem, vel in exceſſu, vel in defectu, e. g. in annonæ caritate; quoad qualitatem, cùm ſit corruptibilis &c. & quoad utendi modum, dum novus ingeritur priori nondum concocto.

III. An & animi pathemata inducant peſtem?

℞. Quod non facilè hoc præſtare poſſint, niſi & humores & ſpiritus ſimul agitant & corrumpunt, vid. *Carteſ. de paſſion. anim.*

IV. An imaginatio & terror poſſint producere peſtem?

℞. *Aff.* Semina enim peſtilentiæ, quæ in corpore jam ante delituerunt, per imaginationem & terrorem quaſi ex alto ſomno excitantur, & vincula, quibus quaſi ligata ſunt, disrumpunt, atq; ita ad cordis ima porta ipſis panditur: Contrariam ſententiam tuetur *Tenzel. dum cap. 2.* ſcribit: Terrorem & imaginationem ipſam à veneno peſtilenti eſſe in corpore abdito, non peſtem à terrore.

V. Quæ corpora faciliùs, quæ difficiliùs peſte corripiantur?

℞. *Galen. libr. 1. de diff. febr. cap. 4. p. m. 32.* Quæ igitur vitioſis ſuccis abundant corpora, obſtructaque ſunt, atque inerti victus exercitiique ratione educata fuerunt, ea ſanè per peſtilentes conſtitutiones ambientes, ſtatim à prima inſpiratione initium putredinis ſument, ac plurimum in malo provehentur. Quæ verò contrario modo diſpoſita, nonnulla quidem nihil, nonnulla vero adeò exiguum læſionis percipient, ut minimo negocio

reverti ad naturalem habitum poſſint. Sequior ſexus ob retenta menſtrua magis affligitur, quàm potior; *Unzer. p. 1421.*

VI. An ætas ſenilis peſte corripiatur?

Plinius libr. 7. H. N. cap. 50. ſcribit, quod Senes *minimè* ſentiant peſtem. *Unzerus* dicit, ſenes rariùs juvenibus in peſtem incidere. *Alexander Benedictus. cap. 3. p. 556.* inquit: inventos tamen ætate noſtrâ, qui extremâ ſenectute rapti ſunt, qui priùs juvenes in maximis peſtilentiis tuti fuerunt. Sed Reſp. quod ætatum nulla prærogativa: Ad peſtem tamen ſuſcipiendam magis diſpoſitiores ſunt pueri, adoleſcentes & juvenes, quàm ſenes, ſunt enim frigentis naturæ, quæ vix vi morbi calorificâ atque fervente domari poteſt. Senes *minimè* peſtem ſentire Plinius dum dicit, non in univerſum, & quaſi ἐν πλάτει, h. e. platicè, ſeu veridicô ore dictum ſit, ut nequaquam ad amuſſim revocetur; ſed ita locutus eſt, quod crebrò & magna ex parte fiat, ut ſcilicet ſenes peſtilentiâ non inficiantur & interficiantur. Furium Camillum, longô ſeniô confectum exactâque ætate, extinctum eſſe peſte, legimus apud *Livium, & Plutarchum, Autores.*

VII. An DEUS ſit cauſa omnis peſtis?

℞. *Aff.* Sed *judicialiter*: Cum enim DEUS peſtem immittit, tunc ſuum judicium exercet; DEUS enim eſt Juſtus, Zelos, Judex, & iniquitatum Viſitator; hinc legimus apud *Sirac. c. 1. verſ. 14. omnia* à Deo, & *Proph. Amos c. 3. vſ. 6.* loquitur; *Non eſſe malum in civitate, quod Dominus non fecit:* Deus autem non eſt cauſa & author mali culpæ, ſed mali pœnæ; hinc etiam apud *Ezech. c. 14. vſ. 21.* peſtis à Deo refertur inter pœnas quatuor cardinales: Porrò hanc quæſtionem Theologis relinquendam cenſemus.

VIII. An malefici & ſagæ ſuis incantamentis & unguentis per aërem ſparſis & poſtibus portarum illitis peſtem inducere valeant?

Homines quosdam malè feriatos ope & inſtinctu Diaboli variis modis peſtem attuliſſe, loquuntur hiſtoriæ, quas vide apud *Querc. libr. 1. de peſt. c. 6. Wier. de venef. libr. 3. cap. 37. Kirch. de Peſte p. 39. 40.*

39.40.41. Veſpillones, teſte *Joh. Evich. libr. 1. de offic. magiſtr. c. 20.* puteos nonnunquam inficere ſolent, illâ materiâ purulentâ ac malignâ, quæ ex bubonibus & carbunculis apertis effluit; & ita multi, qui ex iis aquas hauriunt, inficiuntur & interficiuntur; Veſpillones etiam ſolent ad prolongandam peſtem Diabolicô auſu cadavera prona in ſepulchris collocare, uti ſcribit *Herlicius part. 1. conſil. cap. 7. p. 49.* Quod mortuæ ſtriges itidem valeant, nonnulli aſſerunt, dum nimirum Diabolus ex pacto mortuarum mumiam ſubtus templorum limina defodit, ut tranſcendant illam homines.

IX. Cur autem illa peſtis à maleficis & ſagis inducta poſt mortem illorum non ceſſat, & niſi effoſſis & decollatis corporibus?

Legimus apud *Hercul. Sax. de Plica Polon. cap. 11. p. 805.* dum ſcribit, quod in Polonia non rarò peſtis inducatur à maleficis quibusdam mulierculis, cùm primùm defunctæ & humatæ ſunt; neque illa anteà deſinat, quàm inveniatur cadaver, quod vel propria linteamina, vel alia propinqua ore mordicus tenet, quaſi eſuriens eſcam avidè quærat &c. quod effodiatur & detruncetur, ut peſtis ceſſet: *Hercul. Saxon.* communicavit *J. Urſinus Leopoli* hiſtoriam quandam de fœmina venefica defuncta, ſepulta, iterumque effoſſa ac capite truncata; capite hujus abſciſsô, peſtis ſtatim ceſſavit. Rationem qualem qualem ſequentem damus: Cum à ſingulari intoxicatione aëris ædificiorumq; peſtis illa ſit, non prius ceſſat, niſi removeatur venenum, à loco intoxicato, aut ille fugiatur: Hoc enim etiam maleficis mortuis ſupereſſe poteſt. Si autem hôc remotô nondum ceſſat peſtis, illa eſſe poteſt à ſepultis maleficarum cadaveribus, arte & fraude diabolicâ in detrimentum hominum intoxicatis, indequè hominibus tranſcendentibus miaſma peſtilentiale aſpirantibus, quibus effoſſis & remotis, etiam infectio remittit. Sed detruncatis illarum capitibus, tanquam pro merito maleficarum ſupplicio placatur ira Dei, qui ob vindictam ſuſpenſi ſupplicii hucusque peſtem in pœnam admiſit.

X. An hæc tria vocabula, τὸ eſſe malignum, τὸ eſſe contagioſum & τὸ eſſe epidemium, inter ſe differant?

℞. *Maximè*; morbus malignus non includit contagioſum, quod nimirũ omnis morbus malignus ſit contagioſus; e.g. ſi quis ore aſſumit venenum, tenetur quidem ille malignô morbô, ſed non contagioſô. Morbus contagioſus non includit malignum, e.g. phthiſis eſt morbus contagioſus, ſed nõ malignus; morbus contagioſus non eſt epidemius, ſed omnis epidemius eſt contagioſ9:

DECAS TERTIA.

Qu. I. An omnis peſtis ſit contagioſa?

℞. *Aff.* quia τὸ eſſe *contagioſum* eſt peſtis accidens *inſeparabile*, licet vel unus in orbe peſte corriperetur, eundem peſte laborare non negandum; nam licet ea nondum actu popularis ſit, habet tamen poteſtatem ſaltem, ut ſe in populum latè diffundat. *Euſtach. Rhod. libr. 3. pr. cap. 38.*

II. An omnis peſtis ſit epidemia?

℞. *Neg.* quia τὸ eſſe *Epidemium* eſt peſtis accidens *ſeparabile*; Sunt tamen nonnulli, qui volunt, omnem peſtem eſſe epidemiam quoad potentiam, licet non quoad actum; Sed ℞. quod nullus morbus potentiâ epidemius ſit, cùm nimirum omnis epidemius ſolùm de actu prædicetur.

III. An detur peſtis endemia?

℞. *Neg.* Nam morbi ἔνδημοι ſunt & dicuntur, qui perpetuò in uno loco morantur, *Gal. 1. epid. 1. p. 204.* quod ſeciùs accidit in peſte: Dari peſtem endemiam ſtatuit *Heurn. cap. 19. p. 103. & cum eo Hercul. Saxon. libr. 8. de febr. cap. 37.*

IV. Quid intelligendum per contagium?

℞. Quod hôc locô per *contagium* intelligere velimus ſimilis affectionis morboſæ in alio corpore (quod tamen aptum & diſpoſitum eſſe debet, nullum enim agens agit, niſi in idoneum patiens) per inquinamentum, ſeu μίασμα & ſeminarium (vel à contactu corporeo, vel ad diſtans, & quidem dupliciter (1) jam per aerem

rem (2) jam per fomitem) à morboſo corpore communicatum, quandam productionem; & ita dicitur contagium cauſa peſtis propagans.

V. An certum ſignum imminentis peſtis ex cometis & eclipſibus peti poſſit?

Dicit *Ptolom. lib. 2. quadrip. cap. 9.* Quod ſigna in aere apparentia circa luminaria, hora alicujus eclipſis luminarium, & præcipuè, ſi tunc fuerit alia conjunctio magna, vel ſi caudatæ ſtellæ in aëre apparentes eâdem horâ vel in hora alicujus conjunctionis magnæ fuerint coloris nigri, viridis, ſignificabunt ea, quæ ſunt ex natura ♂, i. e. peſtilentias.

VI. An etiam ſit certum ſignum peſtis imminentis ex mente Horat. Gvargant. c. 3. p. 74. Si nimirum plurimi infantes, præſertim puellæ naſcuntur?

℞. Cui libet, affirmantium cohorti adſtipuletur, nos meras nugas eſſe credimus. Dixit quidem Horatius, quod ante peſtem plurimi infantes & quidem puellæ naſcantur; cur autem peſtem inducant, explanare ſuperſedit.

VII. Quid Urina ſanorum ſimilis indicet?

℞. (1) vel putredinem levem, malignitatem verò vigentem. (2) naturam labefactatam, quæ coctionem aggredi non valet; (3) vel malignitatem, quæ ſolùm cor occupat, (4) vel naturam, metuentem aggredi materiam peccantem. Si autem Urina eſt nigra, cui ſpuma ſupernatat, & craſſa, vel livida eſt, mortem denotat.

VIII. An bubones in peſte orti ſemper portendant mortem?

℞. Cum *Paræo lib. de peſte c. 17. p. 631.* quod ſit ſalutare ſignum, ſi bubo præcedit, antequam febris peſtilens veniat, & eſt indicium mitioris veneni, atque victricis naturæ, cum natura per ſe valuit partem aliquam foràs protrudere à viſceribus; ſi autem bubo ſequitur febrem, tunc eſt lethale, & funeſtum ſignum, ab effera nimirum venenatæ materiæ malignitate, non quidem translatæ,

ſed

ſed ulteriùs propagatæ, non per naturæ victoriam, ſed materiæ multitudinem, cujus pondere natura eſt oppreſſa.

IX. An V. S. in peſte locum habeat?

℞. *Aff.* Sed *moderata*, non ad lipothymiam, uti ſolitus eſt *Mercurial. cap. 26. p. 99* à qua audacia maximè cavendum, *Ludov. Septal. libr. 5. animadv. med. p. 124. ſeq.* (2) ſi *plethora* adeſt & corpus eſt plethoricum, ab ea enim humores moventur & corpus perſpirabile redditur, hinc fit, ut humores difficulter corrumpantur. (3) *ſi alia conſueta evacuatio eſt oppreſſa*; (4) *ſi maturè inſtituitur*; hujus maturam ἐγχείρησιν multis egregiè profuiſſe, teſtatur *Excell. D. D. Laur. Giesler. Med. Brunſvic. Ord. Experient.* Poſt 24. horas V. S. non convenit, imò longè magis nocet, quia jam ſparſa contagio, & ſeminaria jam longè diffuſa, teſt. *Fracaſt. l. 3. cap. 5. p. 225.* (5) quia *ſanguis effervescens eſt ipſum hoſpitium peſtis*, cum itaque ſanguini adimo partem aliquam, tunc non tantùm impedio illius effervefcentiam, ſed etiam minuo. Sunt tamen *nonnulli*, qui vix V. S. admittere volunt, (1) quia *unà cum pravis humoribus etiam laudabilis ſangvis emittitur.* (2) quia *vires ob ſpirituum exhauſtionem aliàs debilitatæ, magis debilitantur.* Sed ℞. ad *prius Neg.* In V. S. non emittitur ſanguis, prout eſt ſanguis, ſed quatenus eſt impurus & pravis humoribus admixtus; Medicus etiam præcavere poteſt, ne unà exeat ſanguis optimus, ſi ſanguis tenuis eſt, ſtatim ſupprime, ſi craſſus, fluere ſine, imperat *Galen. libr. 3. de loc. aff. cap. 7.* ad (2) V. S. tanta eſt inſtituenda, quantam vires ferunt, eaque parcior. Medicus etiam ipſe ſanguinis detrahendi menſuram faciliùs deprehendit, quàm aliorum auxiliorum, habetque liberam poteſtatem ſanguinis evacuationis ſiſtendæ, aliarum nequaquam, *Galen. libr. de V. S. adverſ. Eraſiſtr.* De *electu* venarum non erimus ſolliciti.

X. Quid ſentiendum de cucurbitis ſcarificatis?

℞. Quod & hæ non ultima occupent ſubſellia, præprimis in illis, qui longiore uſu illis adſueverunt: In pueris & debilioribus, cucurbitulæ coxis ac brachiis affigantur, eâ tamen cautione, ut ſanguis nunquam educatur pro plenitudinis ratione.

DE-

DECAS QUARTA & ULTIMA.

Qu. I. An fonticulorum uſus valeat in peſte?

℞. *Aff.* Si plenitudo ſeu plethora non adeſt, ſed aliorum humorum abundantia, *cacochymia* quæ dicitur. Fonticuli quidem *non propriè* reſiſtunt veneno peſtilenti, ut nimirum expellere valeant, ſed tantùm pravos humores ad corruptionem idoneos educunt: Fonticulos & à peſte *præſervare* ſanos, & neminem à peſte eſſe correptum, qui illos vel in brachiis vel cruribus geſtavit, *Fabric. cent.4. obſ.22. Mercurial. libr. de peſte cap. 23.* teſtantur. Hoc eſt *notandum*, ſi partes infernæ magis debilitantur, coxis cauteria inurenda, ſi ſupernæ, brachiis.

II. An purgatio in peſte quendam mereatur locum?

℞. *Aff.* & quidem *in principio morbi*, (2) *ſi alvi conſtipatio eſt ſymtomatica* (3) *ſi leniens eſt, & moderata*; fortioribus enim purgationibus in peſte corpus magis debilitatur, humores agitati præcipites ruunt in ventrem, ſpiritus diſſipantur, & alia gravia ſymtomata accelerantur, præprimis in illis, quibus αἱ σάρκες ὑγιέαι carnes ſanæ ſunt. *Hipp. ſ. 4. aph. 16.* (4) ſi *purgantia non ſunt impensè calida*, (5) ſi *admiſcentur purgantibus medicamentis, quæ vim alexipharmacam habent. Heurnius p. 23.* vult, quod *nullatenus* purgantia in peſte præſcribantur, quia peſtis, *quà venenum ſolis alexipharmacis* eſt curanda, his enim propria curatio peſtis S. DEI beneficio conceſſa eſt; Sed Reſp. quod quidem non negandum ſit, ultimam peſtis curam ſtare in antidotis, ſed corpus priùs eſſe debet evacuatum, & ab impuritatibus liberatum. Si enim adhuc pravi humores in corpore abundant, tunc illi facillimô negociô vim alexipharmacorum infringere & deſtruere poſſunt; ideò illos lenibus purgantibus priùs eſſe educendos, antequam alexipharmaca præſcribantur & uſurpentur, adhuc ſemel aſſerimus.

III. An vomitus in peſte ſit ciendus?

℞. Quod de purgatione aſſertum eſt, *id & de vomitu dictum eſto*, & quidem (1) ſi *venenata producta adhuc in primis viis hærent.* (2) ſi *venenum nondum maſſæ ſanguineæ eſt communicatum* & (3) ſi *bubones nondum eruperint.* Hoc autem eſt *notandum*, quod *vomitoriis* ſemper ejusmodi admiſceantur, quæ vi *alexipharmacâ* gaudent & pollent, ne poſteà æger averſetur ſalutaria pharmaca. (2) vomitus *non ſit violentus*, aliàs ille vias aperit ad cor veneno, & cerebrum facilè venenô gravat. Evacuatô itaque corpore & ab impuritatibus aliquô modô liberatô, deſcendendum eſt ad ſpecialem curationem peſtis, quæ conſiſtit in *antidotis*, *diaphoreticis* nimirum & *alexipharmacis*, (1) in his enim omnis ſpes ſalutis & ſanitatis ſita eſt. (2) quia non omnis putredo V. S. & purgatione hauritur, licet materia minuatur, teſte *Craton. in Epiſtol.*

IV. An diaphoreticorum uſus in peſte maximè ſit neceſſarius?

℞. *Maximè*; omni tempore peſte laborantibus diaphoretica præſcribenda, ſi modo vires perferre valent, horum enim uſu expellitur illud veneni, quod intra corpus fuerit aſſumtum & conceptum, dum ſanguinem efficaciter & ſpiritualiter purgant. Hoc eſt *notandum*, quod ſudor non ſemper erumpat, quoniam venenum etiam ſine cutis madore frangitur & diſſipatur; *Scharlach. R. P. D.* interdum etiam per urinarias vias præcipitatur, *Becker. cap. 9. f. 2.* Peſtiferi *dum ſudant*, ſe ab omni cibo & potu abſtineant; vires autem ſi ſunt dejectæ & debilitatæ, recreentur illæ odoram. & ſuffimig. Facies etiam adſpergi poteſt + bezoart. ▽ roſar. + caryoph. &c. Loco potus & cibi præberi poſſunt peſtifer. condit. berb. rib. man. Chr. perlat. &c. *Finitô ſudore* peſtifer. in lecto novis lodicibus ſtrato ſe contineat, & caveat, ne corpus aëri frigido objiciatur; reficiatur epithemat. & ungu cordial. pulſus irrotentur ▽ & + idoneis; & ſi una vel horæ dua expiraverunt, cibô & potu ex juſcul. gallin. capon. carn. &c. ſe reficiat, capiat tamen & tenuiter & parum; Contrarium vul *Paræus libr. de peſte c. 20. p. 634.* dum dicit: victus ratio in peſti

lent

lente morbo debet eſſe refrigerans & reſiccans, minimè tenuis, ſed paulò plenior; quia facta eſt magna diſſipatio ſpirituum & facultatum exſolutio, quæ reparari debet cibô pleniori, coctu diſtributuque facili.

V. An detur ſpecificum & univerſale quoddam remedium peſtis?

Multi volunt, quod nullum detur remedium, quod tantâ virtute polleat abigendi peſtem; ſi conſideratur illius cauſa univerſalis, quæ DEUS eſt, & quod tantummodo hæc quatuor, (1) nimirùm *pœnitentia*, (2) *preces* (3) *charitas erga proximum, &* (4) *fiducia animi in ærumnis* faciant ad obbreviandam peſtem, his enim placaretur DEUS. Sed Reſp. ſicut peſtis non tantùm à cauſis naturalibus: ſed & ſupra naturalibus oriatur, ita etiam remedia ad illam depellendam in natura, ſed etiam ſupra naturam poſita ſunt. Tutiſſimè illi eunt, qui imploratâ prius Divinâ clementiâ & ope ad alexipharmaca dein confugiunt, & appropriatum remedium veneno opponunt, (ſiquidem cuivis malo bonum eſt oppoſitum.) Remedium ſupra naturam poſitum eſt *verbum DEI*, quod omnia ſanat, *Sapient. cap. 16. verſ. 12.* quæ neque herba, neque malagma ſanat. Remedia in natura poſita, ſunt duplicia, *interna* & *externa*; *utraq;* petuntur *è triplici* regno, *animali* nimirum, *vegetabili* & *minerali*; & ſunt vel *ſimplicia* vel *compoſita*; & *hæc* vel *minus talia*, vel *magis talia*: Materias remediorum & formulas hîc apponere noſtra methodus prohibet; materias deſiderantem remittimus ad practicorum libros, in quibus magna farrago videri eſt; unusquisque pro ſuo captu formulas conſcribet tàm præſervationis, quàm curationis ergò.

VI. An uni alexipharmaco ſemper inhærendum, an verò alia adhibenda?

℞. Non ſemper uni eſt adhærendum, ſed interdum mutanda & alia adhibenda. Siquidem de veneni natura & ingenio nihil certi conſtat, nec ullum exiſtit antidotum, quod omnibus venenis directè contrarietur.

VII. An Amuletorum uſus in peſte valeat?

℞. Amuleta, ab *amoliendo letho* quaſi dicta, è rebus venenoſis, in peſte multùm efficere, non neglectâ tamen aliorum internorum alexipharmacorum adhibitione, & non ſola ſufficere, (uti multi deprædicant,) teſtis eſt Experientia, confirmant autoritates, dictitat ratio. *Jacob. Carpenſ.* commendat ſacculum ex arſenico, & cum eo *Fallopius*, jurans, nullum generoſius inveniri contra peſtilens venenum, arſenicô: *Marſilius Ficinus* laudat ☿ium, coriolo vel avellanæ excavatæ, iterumque obturatæ incluſum. *Itali* extollunt placentulam ex duabus partibus arſenici cryſtallini, unâ rubei, cum albumine ovi vel mucilagine tragacanthæ exceptam, nominantque Dei inventum, quia nemo unquam, qui hanc geſtavit, peſte decubuerit. *Bartholin.* deprædicat araneam vivam de collo geſtatam. Hæc omnia recenſita Xenechta agunt qualitate *manifeſtâ*, & per ſympathiam, aque ſimilitudine ſubſtantiæ, cùm & ipſa venena ſint, ad ſe trahunt venenum in corde abſconditum, dum exſiccando reſiſtunt putredini & putri aëri. Quod & illa periapta, è collo depenſa ratione *verborum*, *figurarum*, *characterum* & *conſtellationis*, per ſympathiam & ſimilitudinem ſubſtantiæ agant, nos non aſſerimus, neque illorum effectus à figuris ipſis proficiſcuntur, ſed à Diabolo ipſo, & ita operantur ope Diabolicâ, ſiquidem eorum adminiſter, autor & inventor eſt Satanas, teſte *Bodino libr. 3. cap. 5. Dæmonomaniæ.* Imaginem ſerpentis alicui pretioſo lapidi inſcriptam, ſi portetur, valere contra venenum, legimus ex *Petro de Albano libr. de remed. venenor.* Multa talia amuleta inveniuntur apud Magiæ Magiſtrum *Cornel. Agrippam.*, ubi de ſignaturis agit: Amolimur etiam ex æquo amuleta *pontificia*, ut ſunt nonnullorum ſanctorum reliquiæ, agni Dei cerei; Evangelia S. Johannis, Pſalmi Davidis &c. quia merâ & exploſâ ſuperſtitione ſunt fulcita; Hæc de collo ſuſpenſa omnis generis morbos & pericula avertere, approbat ille Jeſuita *Delrio libr. 1. cap. 4. disquiſ. magic.*

IIX. An ♁us ⊕l. habeat tantam virtutem antipeſtilentialem, ut nimirum expellat virus peſtilentiale, quæ illi à nonnullis adſcribitur?

℞. *Neg.* Quod ſit ipſum oppoſitum remedium veneno peſtilen-

ſtilentiali, ſeu quod tantâ virtute polleat primariò reſiſtendi μιάσματι peſtilentiali; eatenus tamen illi adſcribi poteſt vis antipeſtilentialis, quatenus (1) habet vim refrigerandi & exſiccandi; (2) quatenus gaudet facultate diaphoreticâ, (3) quatenus eſt tenuis, quàm ſuâ tenuitate alexipharmaca admixta juvat promovendo, & (4) quatenus putredinem ſuâ aciditate arcet: illorum teſtimonia, qui -^- ⊕l. uſum in peſte commendaverunt, videri poſſunt apud *Caſt. epiſt. med. 7. p. 68. 69. 70. &c.* & quem ipſe probat.

IX. An balnea privata, (publica aliàs & rectiùs prohibentur) in peſte concedenda?

℞. Quod optimô jure uſus balneorum concedi poſſit, ſed tamen προφυλάξεως, præſervationis potiùs, quàm θεραπείας curationis gratiâ; vid. plura apud *Samcen. de peſte p. 184.* & *Sal. de peſt. p. 440.* qui & modum tradit ſudorum abſtergendorum; *Liddelius* autem nullatenus balnea laconica concedere vult, quia illa disponant corpora laxando ad morbos, fortean ex mente *Mercurialis*, qui ait: corpora quidem interiùs eſſe aperienda, non verò exteriùs.

X. An fuga tempore peſtis & mortis ſit licita?

℞. Fugam mortis per ſe eſſe licitam affirmamus cum *B. D. D. Martino Luthero, in epiſt. quæ extat Tom. 3. Jenenſ. fol. 392.* vinculis officii & τῆς στοργῆς retracti, ut ſunt *Paſtores, Eccleſiæ Magiſtratus, Medici, civitatum præfecti, milites, Parentes, liberi, &c.* coguntur manere, nullatenus fugam meditentur. Fugiat autem *privatus*, qui abſque officii & conſcientiæ læſione poteſt abeſſe, in *loca tuta*, in quibus aura ſana & religio verâ, ſed *mox cedat*, non cùm peſtis patriam occupaverit, ſed cùm ex ſignis apparuerit, mox eſſe affuturam; *longè recedat*, terminus ad quem ſeu locus fugæ debet eſſe *longiſſimè* ſemotus, neque à peſtiferis *minimè* frequentatus, neque *aliàs* peſti obnoxius; *via* etiam, per quam contendit, debet eſſe pura, nec per aërem peſtilentem iter habeat; *tardè redeat*; relictam labem ſæviùs egiſſe in illos reverſos, quàm qui perſtitêre, teſtis eſt experientia; ideò in reditu tardè & cautè agendum. Siquidem

Hæc tria peſtiferæ tollunt contagia latis,
Hæc tria tabificam pellunt adverbia peſtem.
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Medicus non facilè fugam ſuadere poteſt, quia (1) & ipſe opem medicam deſpiceret, cùm tamen jubeat illam non contemnere, dum ſpondet ſalutem paratum iri, ſi fugâ remedium quærunt, (2) quia & ipſi & ipſis medicamentis diffidendum eſſet; ideò ſi illi eſt illis fidendum, fugam non ſuadeat, & ille non poteſt fugere; ſiquidem ſemper potior habenda eſt ratio communitatis, ſeu totius reipubl. & regionum, potior etiam officii, quàm propriæ ſalutis. Si autem Medicus reipubl. ordinarius etiam deſtinatus eſt aliis negociis publicis, aulicis nimirum & academicis, tunc illi non migrandum erit, ſi aulæ & academiæ aliò migrant, & quidem ſi phyſicatus eſt munus principale, lectio verò academica & ſparta aulæ eſt acceſſorium, tunc *hoc* cedit *illi*, & phyſicatus potior habenda eſt ratio. Si autem aulæ & academiæ alium ſuo locô dignum phyſicum reipubl. ſubſtituunt, tunc ille aliò & ipſis abſque officii & conſcientiæ læſione migrare & fugere poteſt. Dilucidiorem hujus Quæſtionis deciſionem videbis B. L. in Fratris mei Diſſertatione Juridicâ de PESTE, Decad. 1. Quæſt. 5. de *Fuga*, ſub Præſidio Viri Præ-nobiliſſimi atque Conſultiſſimi DN. D. ADRIANI BEIERI, ad quam Te remitto.

Hic vela B. C. D. contraho & navim in littus ſubduco; Vale, L. B. & conatibus fave.

COROLLAR.

AN conceptionis tempus ex partu cognoſci poſſit? Reſp. Aff.

(o)

I, ca-

I, cathedram conſcende, & doctam conſere pugnam,
Sanguinis expertem, ſed magnâ laude coruſcam,
I felix, & Te condigna brabéa manebunt!

Brevi voto, ſed amplo affectu Pereximio DN. Reſpondenti applaudo

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

Oppida peſtilitas viduat veſana colonis:
Arte tuâ aſt illi Tu mala peſtis eris.
Quod peſtem valeas depellere, monſtrat abundè
Eximius, quem jam prodis, AMICE, labor.
De quo cordicitùs grator: promittit Apollo
Noſter Salanus digna braweia TIBI.

Egregiis conatibus Clariſſimi DN. AUTORIS applaudit, & ulteriorem felicem ſtudiorum progreſſum apprecatur

Præſes.

OMnia ni fallunt, pol prolifer imminet annus,
Lurida peſtilitas & metuenda viris.
Omnia (dent ſuperi!) fallant: violenta venena
Nev vitient hominum tabe fluente genus;

Perge:

Perge: tuum cœptum juvet! ergò DIESPITRIS auſu,
Aque reſervabis PESTE MACHAON humum.

Witteberg. d. 29.
Apr. 1674.

Ita Nobiliſſimo DN. VALDERO, eruditæ hujus Diſputationis Autori Clariſſimo, Fautori & Amico ſuo honoratiſſimo ex animo gratulari voluit

Wilhelmus Valent: Stasborth,
Medicinæ Ddus.

GLoria Virtutis perhibetur Filia, ſed quæ
non niſi ſolerti parta labore venit.
Sic, VALDERE, Tibi dum ſplendida ad atria tendis
virtutis, comitem ſe Labor aſſociat.
Indole proclivi ſtudiô fervente ſubîſti
artis opus Medicæ, Pœoniamque penûm.
Scilicet aggrederis Stygiæ contagia Peſtis,
utque Lues fugiat, pharmaca data paras.
Quid Peſtis, quid dira Lues, quæ cauſa ſit ac vis,
jam ſolidè monſtrat mensque manusque Tua.
Unde acclamamus veterum FELICITER! EUGE!
dum Medico ſplendes ſtella coruſca polô.
Virtuti faveat bona ſors! ceu Delphica Laurus
æternum ſerves fronde virente decus!

Sic Nobiliſſ. atque Clariſſimo DN. VALDERO Auctori, fautori ſuo honoratiſſimo applaud. ejusdem

COMMENSALES